

bonum et malum; secus utrumque esset ex aequo appetendum et fugiendum. Ut autem haec distinctio vigeat, minime potest ipse error adstrui tamquam primum et universale boni virtutisque principium, ac veritas e converso tamquam mali vitiique consimile principium. Ergo primum axioma moralitatis subsistere nequit, si error ponatur ut principium totius virtutis, veritas contra ut principium omnis vitii. Atqui rursus iudicium quo Deum esse affirmamus, est omnis boni virtutisque principium, contra vero nullum est facinus quod opposita opinio non progignat. Constat hoc praecipuis ex scelestissima atheorum vita et doctrina pestilentissima. Constat insuper ex ipsa natura rei. Quandoquidem si de medio tollatur Deus, necessario fit consequens, ut nullus humanarum actionum, internarum praesertim, legislator, vindex, et remunerator agnoscat, neque ullus earumdem finis in altera vita expectetur: his autem ignoratis, omnis morum regula eo ipso radicitus extirpatur. Lege Ps. 13. Apposite I. B. De Benedictis. * Cessat omnis inhonestas, cessante omni lege et obligatione, praesertim naturali, a qua reliquae pendent, cuius scilicet nullus esset amplius legislator. Quod si protervial atheus, mansuram adhuc, remoto Deo, inhonestatem et vitium, ex hoc ipso efficacius evincitur Deus. Vita enim si sunt, mala homini sunt: in quae tamen opinio Deum tollens non ducit modo, sed rapit, ut experientia demonstrat. Si ergo atheismus verum habet, bona est homini eius opinio; verum enim est bonum intellectus proprium. Rursus haec opinio malorum omnium hominis fons est, et origo. Bonum ergo hominis proprium maximum hominis malum traheret; atque adeo malus esset homo quia bonus est: quod in terminis repugnat. Ex quo apparet, quam inepte, quam inconsulto dixerint athei nescio qui, religionem quidem nullam esse; expedire tamen ad regimini felicitatem, ut religionem esse vulgo existimetur. Haec sane qui perpendit et confert, pugnare secum manifeste deprehendet. Si enim falsa est religionis opinio, mala est humanae republicae: non ergo potest ad eius felicitatem conducere; nemo enim felix esse ex malo et

miseria potest., (*Philos. Peripatet.* to. 4. lib. 3. q. 1. c. 3.)

399. **Argumentum III.** — Si qua est cordatae mentis seu prudentiae regula, haec erit procul dubio, ut minime respuamus, sed contra amplectamur omnino sententiam sequentibus characteribus insignitam. Quae nimirum I. sapientissimos quoque et moratissimos cuiusque aetatis patronos habet, immo vero etiam totius humani generis consensum: cuius praeterea II. nulla causa decipiens assignari unquam potuit: praesertim si III. sit in praxi tutissima, ac instet necessitas eligendi hanc vel illi oppositam. Haec prudentiae maxima est perspicua omnino, eiusque oppositum teneritatem continet ex terminis manifestam. Atqui tales sunt characteres quibus instruitur sententia docens, Deum esse. Prob. hoc per partes.

I. Pro hac veritate pugnare communem hominum sententiam, sapientum praesertim ac bonorum, liquet ex testimonio historicorum omnium ac viatorum; item ex vestigiis innumeris huius facti, puta ex monumentis et linguis omnium nationum (1). Constat etiam ex plurimis qui atheos profligarunt, quique ad hunc humani generis consensum semper appellarunt, ut ad argumentum plane irrefragabile.

(1) * Inter omnes omnium gentium sententia constat. Omnibus enim innatum est et animo quasi insculptum, esse Deos. Quales sint, varium est, esse nemo negat., Ciceron., (*De Natura Deorum*, lib. 2. c. 4.)

* Omnibus insita de Diis opinio est, nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque procieta, ut non aliquos Deos esse credat., Seneca (*Epist.* 117.)

* Si terras obeas, invenire possis urbes maris, litteris, legibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiolorum, et theatrorum necessitas: urbem templis diisque carentem, quae precibus, iuramentis, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vult., Petrarcaus (*Advers. Coloton.*)

Vide, si placet alia eiusmodi testimonia apud Brenna (*De generis humani consensu in cognoscenda Divinitate*). Multa etiam collegit Goussset in sua *Theol. Dogmat.*, quaeque videri etiam possunt apud Rohrbaker (*Istoria della Chiesa*, vol. 1. lib. II.)

Nec profecto athei eiusmodi factum inficari possunt, immo nec inficiantur. Toti enim sum in conquirendis variis causis, ut verisimilem aliquam rationem reddant tantae consensionis, quin idcirco adigantur ad Deum profitendum: hoc certe non efficerent, si consensus iste esset res perquam manifesta, seu *nota lippis*, ut dici solet.

II. Nec potest ulla probabili ratione talis ac tanta consensio communi alicui causae erroris attribui, ut secundo loco dicebamus. Imprimis enim eius ipsa universalitas et constantia militat contra hanc hypothesim: siquidem, generatim loquendo, causae quae in errorem inducunt, particulares sunt, ac temporis diuturnitate evanescere solent. Praeterea, si quae sunt eiusmodi in re praesenti, prout athei obgarrunt, hae revocantur ad ignorantiam vel praeiudicia mentis vel sensuum deceptionem, ad vanam spem vel inanem timorem appetitus, ad pravam denique educationem, vel hominum, puta sacerdotum, fraudem et conspirationem. Atqui hae causae vel non existunt vel impares plane sunt huic effectui producendo. Etenim persuasio haec sensuum captum excedit, cum vera scientia crescit, et quo magis ad trutinam revocatur eo firmiter et luculentior evadit. Ergo repeti nequit vel ex sensuum illusionem, vel ex ignara aut praeiudicata mente. Deinde, ad spem vel timorem quod attinet, persuasionem subaudiunt, non primo progignunt: nec insuper effectum adeo uniformem et constantem habent, nisi ex ipsa natura profuerent, quae profecto per se non tendit ad errorem. Educatio denique, hominum fraus et conspiratio, res est nimis varia, quae proinde in hoc uno constans et uniformis esse non potuit: ea etiam persuasionem divinitatis subaudit, atque adeo huic opinioni originem dare non potuit. Quin immo illud praeteriri non debet, quod si quae sunt causae erroris, eae potius ad atheismum inclinant. Deum quippe nec sensus percipiunt, nec phantasia imaginatur, nec libido exoptat. Atqui nemo est qui ignoret, errores fere omnes, quae humanum genus deturpant, ex hoc triplici fonte pronanare. Si proinde, his omnibus non obstantibus, immota in humano genere per-

mansit persuasio Divinitatis, fateri oportet, causam habere plane necessariam et ineluctabilem: et haec esse non potest nisi ipsa natura rationalis, non vero accidentaria quaequam deceptionis causa.

III. Tertia pars denique manifesta est. Nam nihil plane timendum est hanc sententiam asserenti, quae videlicet Deum admittit; plurimum contra eam neganti. Est quippe Deus supremus remunerator et vindex, cui nulla maior iniuria fieri potest, quam ita se gerere ac si ipse non sit, vel rerum nostrarum curam nullam habeat. Est proinde haec sententia in praxi tutissima. Aliunde urget necessitas se determinandi in hoc negotio. Si enim Deus est, eundem verbo confiteri, et quotidiana ac iugi actione colere oportet.

Concludamus igitur cum M. Tullio. " Si ratio mecum facit, si eventa, si populi, si nationes, si graeci, si barbari, si maiores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est, si summi philosophi, si poetae, si sapientissimi viri qui republicas constituerunt, qui urbes considerunt: an dum bestiae loquantur expectamus, hominum consentiente auctoritate contenti non sumus? ", (*De Divinatione*, lib. 1. c. 39.)

SECTIO IV.

Diluuntur obiecta in assertam doctrinam feri solita.

400. *Difficultatum ordo prior.* — Quae directe ipsam supremi Numinis existentiam impetat, obiecto nulla existit, nisi hoc nomine censeantur ea quae adversus ipsius attributa sunt, quaeque alibi examinanda sunt. Quocirca ea tantum obiecta huc revocamus, quibus demonstrabilitas ipsa divinae existentiae oppugnatur, sive ab atheis, sive etiam ab iis qui hanc veritatem fatentur quidem, sed aliam plane viam quam quae a nobis ostensa est, ineundam

putant, ut in eius cognitionem deveniatur. Ad duo genera commode revocari possunt. Alia siquidem universe ac generaliter et quasi a priori ostendere nituntur, rem esse impossibilem, demonstrationem naturalem proprii nominis conficere qua legitime et evidenter convincatur intellectus, Deum esse. Alia vero militant adversus probationes ipsas quas adhibuimus, vel earum aliquot. In hoc numero priores expendimus.

Obiectio I. — Deum esse, fide tenetur, utpote divinitus revelatum. Sed ea quae sunt fidei, non possunt esse scita, seu demonstrabilia: quia fides, definiēte Apostolo, Hebr. I, 11, est *argumentum non apparentium*. Ergo, Deum esse, non est demonstrabile.

Respondeo. *Conc. mai. Dist. min.* Et hoc ad summum probat, cum qui demonstrative scit hanc veritatem, non posse eandem credere, *trans.*; et hoc probat, nulla dari argumenta quae apodictice probent Deum esse, *neg. Sub data dist. neg. consequ.*

Quaestio est apud theologos controversa, utrum contingat, unam eandemque veritatem ab uno eodemque intellectu demonstratione simul ac fide teneri: qua in re quid nobis verum videtur, alibi paucis aperuimus [*Pr. Ph.* 380]. At enim ab hac controversia minime dependet quod modo agimus. Si enim alicui negative ex mente Aquinatis praedicta controversia dirimenda videatur, cum eodem sancto Doctore concludere debet, non certe existentiam Dei veritatem esse minime demonstrabilem, sed eam credi non posse ab eo qui demonstrationem capit (1). Id autem ad rem nostram non facit ac propterea missum fecimus.

(1) En verba Aquinatis in solutionem recitatae difficultatis. "Dicens, quod Deum esse, et alia huiusmodi quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. I, non sunt articuli fidei, sed praecambula ad articulos. Sic enim fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, et ut perfectio perfectibile. Nihil tamen prohibet, illud quod secundum se demonstrabile est et scibile, ab aliquo accipi ut credibile qui demonstrationem

Obiectio II. — Principia demonstrationis a sensu originem ducunt. Ergo quae omnem sensum excedunt, sunt indemonstrabilia. Huiusmodi autem est *Deum esse*. Ergo veritas est indemonstrabilis.

Respondeo. *Dist. antec.* Sic nimirum ut nihil aliud cognoscatur, nec alio modo, quam sensu apprehenditur, *neg.*; ita ut, tametsi cognitionis nostrae initium a sensu ducatur, longe plura et altiori modo mente intelligamus quam a sensu apprehenduntur, *conc. Dist. consequ.* Ergo quae omnem sensum excedunt sunt indemonstrabilia, si scilicet nullam connexionem habent cum his quae sensu apprehenduntur, *conc.*; si talis connexio existat, *neg. Contradist. minor. subsumpt. neg. ultimum consequ.*

Solutio patet ex his quae de demonstrationis principiis

non capit. (Summa th. 1. p. q. 2. a. 2. ad 1.) Multi et gravissimi Theologi nullam difficultatem inveniunt in eo quod eadem veritas, prout diversis motivis substat, scientiae nimirum et fidei, ab eodem intellectu, alio saltem et alio actu, sciatur simul et credatur. Apposite Eminentissimus I. B. Franzelin. "Licet enim obiectum materiale sit unum idemque, eius tamen cognoscibilitas duplex est, una ex mediata evidētia vel certitudine quae demonstratione innotescit, altera ex divina testificatione... Unde ulterius intelligitur, quomodo obiectum fidei sub formali sua ratione sit non apprensus, et fides etiam in his quae aliunde sunt evidētia, sit convictio ac argumentum non apparentium, *παραπίπτων ἐλεγχος ὁ βλαπτομένον*, Hebr. XI. 1; pariterque intelligitur, posse hominem, qui evidenter cognoscit Deum existere, non quidem negare existentiam Dei, negare tamen fidem in Dei existentiam, h. e. assensum in hanc veritatem propter auctoritatem Dei loquentis; quia Deum esse locutum, est quidem obiective certissimum, non tamen ita evidens, ut assensus vel dissensus non pendeat a libero voluntatis imperio... Atqui huiusmodi actus, qui referantur ad idem obiectum materiale, sed sub ratione formali diversa, in eodem homine sciente et credente nullatenus repugnant. *Fides et scientia*, ait Albertus M. (3. Dist. 24. a. 9), *sunt de eodem, non secundum idem, et ideo unum non evacuat aliud... Fides autem non assensit propter rationem* (demonstrantem rei veritatem in se), *sed ratio ibi est sub fide et similiter scientia*. Et Alexander Alensis, 3. P. q. 68. m. 7. a. 3. in philosopho, inquit, *veniente ad fidem idem est scitum et creditum, sed scitum per comparationem ad rationem, creditum per comparationem ad primam veri-*

in Logica, et de humano intellectu ante disputavimus, nec profecto haec obiectio urgeri potest nisi quis putidum materialismum profiteri non erubescat. Origo nimirum cognitionis nostrae a sensu his tribus potissimum absolvitur. Primo, in conceptibus simplicibus qui sunt quasi semina cuiusque cognitionis subsequentis: siquidem hi in mente nostra gignantur per abstractionem a phantasmatibus. Secundo, in eo quod experientia et inductio singularium multum iuvat intellectum, ac saepe etiam est necessaria, ut rationes terminorum, quibus axiomata constant, exacte penetrantur, et sic evidens praebatur assensus: quod egregie explicatum a Suarez suo loco tradidimus [Pr. Ph. 397]. Tertio denique requiritur experientia sensilis in ra-

tatem, cui innititur propter ipsam; scilicet est quantum ad speculationem, sed creditum quantum ad hoc, quod innititur primae veritati. Eadem est sententia Sancti Bonaventurae (3. Dist. 24. a. 2. q. 3.). *Dicitur potest, quod quando aliquis est sciens simul et credens, habitus fidei tenet in eo principatum, et ideo talis assensus fidei assentit ipsi veritati propter se ita, quod propter dicitur rationem principaliter ipsam movendam... ita, quod unum sit principale, alterum subordinatum.* Cf. Gregorium de Valentia in S. Thomam 2.^{ae} Disp. 1. Puncto 4. §. 2.; Suarez De Fide, D. 3. sect. 9.; Card. de Lugo, De Fide, D. 2. sect. 2.; Card. de Aguirre Theol. S. Anselmi, To. I. D. 7. Quod pertinet ad S. Thomam, Card. Aguirre l. c. sect. 5. ostendere conatus est ex his quae leguntur 2. 2.^{ae} q. 5. a. 1., scientiam visionis in patria tantummodo esse eam, quam S. Doctor tradiderit, fidem consistere non posse; haecque ratione non probabiliter explicari posse, iudicat etiam Card. de Lugo l. c. n. 59. Verum sententia Angelici 2. 2.^{ae} q. 1. a. 4. 5. et De Verit. q. 14. a. 9. videtur sane contraria, nec in loco ad quem appellant ambo Cardinales, aliud docet, quam quod in Angelis in statu viae potuerit esse et fuerit fides, licet plures veritates et perfectius quam nos intelligerent; non tamen docet, de hisdem veritatibus, quarum in Angelis evidens erat scientia, simul et fidem fuisse, immo ipso in loco citato a Cardinali Aguirre 2. 2.^{ae} q. 5. a. 1. sanctus Doctor in hac quaestione ad oppositum innuere videtur. Fatemur ergo, nos in hac quaestione ad auctoritatem S. Thomae non audere appellare. Haec ille, cum profecto invidia maior, ac pietate simul et doctrina vere eminentissimus, quoni recentior morbo et vivis sublatum disciplinarum theologiarum cultores perique omnes merito lugeat. (Tract. De Deo uno, th. IX.)

tiociniis mixtis, quorum scilicet altera praemissa est rationalis, altera vero enuntiat factum cuius existentia non constat nisi ex relatione sensuum. Hoc postremum elucet in pluribus e demonstrationibus quibus usi sumus ad existentiam Dei comprobandam. Quare S. Thomas. "Etsi Deus sensibilia omnia et sensum excedat, eius tamen effectus ex quibus demonstratio sumitur ad probandum Deum esse, sensibiles sunt; et sic nostrae cognitionis origo in sensu est, etiam de his quae sensum excedunt." (1. Cont. Gent. c. 12.)

Obiectio III. — Medium demonstrationis, quae sit vere et proprie eiusmodi, est quod quid est, seu essentia. Atqui Deum non cognoscimus per essentiam. Ergo demonstrari non potest, Deum esse.

Respondeo. *Dist. mai.* Si sermo sit de demonstratione potissima seu propter quid, *concl.*; si sermo sit de qualibet demonstratione universae ac generatim, *neg.* *Concessa minore, dist. pariter consequ.*

Ad rationem demonstrationis quae proprie hoc nomen meretur, duo requiruntur et sufficient, nimirum ut exordium in ratiocinando ducatur ex principiis immediate certis et evidentibus, et conclusio legitima et evidente consecutione cum eis colligetur. Atqui haec habentur tum in demonstratione potissima seu propter quid, tum in demonstratione quia, cuiusmodi est ea quam in praesenti usurpamus. Apposite rursus Angelicus. "In ratiociniis in quibus demonstratur, Deum esse, non oportet assumi pro medio divinam essentiam sive quidditatem...; sed loco quidditatis accipitur pro medio effectus, sicut accidit in demonstrationibus quia, et ex huiusmodi effectu sumitur ratio huius nominis Deus. Nam omnia divina nomina imponuntur vel ex remotione effectuum divinarum ab ipso, vel ex aliqua habitudine Dei ad suos effectus." (Cont. Gent. loc. cit.) Confer quae in Logica diximus [th. XX].

Instabis. Essentia et esse in Deo ne ratione quidem distinguuntur. Ergo videtur impossibile, Deum aliter cognosci posse quam per essentiam.

Respondeo. *Dist. antec.* Essentia et esse in Deo ne

ratione quidem *ratiocinata* distinguuntur, *conc.*; ratione *ratiocinante*, *neg.* Sub data dist., *neg. conseq.*

Si esse divinum conceptu proprio apprehenderemus, eo ipso illud per ipsam divinam essentiam obtutui mentis nostrae immediate praesens intelligeremus, et sine ullo discursu vel mentali compositione in natura rerum dari iudicaretur, visione scilicet intuitiva et facili. At enim ita res non habet. Actus enim essendi, quem primo et immediate concipimus, a nobis intelligitur per abstractionem a rebus creatis, in quibus virtuali saltem distinctione differt essentia et esse. Hinc cum talem conceptum Deo applicamus, similem etiam distinctionem prae se fert, quae iudicio et ratiocinatione corrigenda est. Haec porro distinctio inter essentiam et esse, ad Deum quod attinet, nullum habet fundamentum in ipso Deo, sed unice enascitur ex imperfecto modo concipiendi nostro, ac propterea merito dicitur *ratiocinationis*, non *ratiocinatae*: eaque huc tandem redit, quod primo Deum concipimus quoad *quid nominis*, quo scilicet intelligimus quid veniat hoc nomine *Deus*, ac deinde intelligimus dari reipsa in natura rerum id quod eo nomine significatur, cum iudicamus scilicet a posteriori Deum esse. Hinc S. Thomas, * Nec hoc debet movere, quod in Deo idem est essentia et esse... Nam hoc intelligitur de esse quo Deus in se ipso subsistit, quod nobis quale sit ignotum est, sicut eius essentia: non autem intelligitur de esse quod significat compositionem intellectus. Sic enim esse Deum sub demonstratione cadit, dum ex rationibus demonstrativis mens nostra inducitur huiusmodi propositionem de Deo formare, quae exprimat Deum esse. » (*Cont. Gent.* loc. cit.)

Obiectio IV. — Causa demonstrari non potest per effectum sibi non proportionatum. Atqui nullus existit effectus Deo proportionatus. Ergo ex effectibus demonstrari non potest, Deum esse.

Respondeo, *Dist. mai.* Quatenus tali demonstratione non potest obtineri *perfecta* cognitio causae, *conc.*; quatenus tali demonstratione nihil cum certitudine eaque evidente de causa cognosci possit, *neg. Conc. min. Neg. con-*

seq. Haec est solutio Aquinatis. * Dicendum, ait, quod per effectus non proportionatos causae non potest perfecta cognitio de causa haberi, sed tamen ex quocumque effectu potest manifeste nobis demonstrari causam esse...; et sic ex effectibus potest demonstrari Deum esse, licet per eos non perfecte possimus eum cognoscere secundum suam essentiam. » (*Summa th.* 1. p. q. 2. a. 2. ad 3.)

Obiectio V. — Omnis demonstratio procedit ex necessariis. Atqui effectus omnes qui a Deo procedunt, sunt contingentes. Ergo nulla demonstratio ex his duobus poterit.

Respondeo I. Haec difficultas, si quid valeret, omnino omnino ratiocinationem mixtam de medio pelleret, atque adeo nullam relinqueret scientiam, nisi quae solis principis rationalibus utatur. Patet autem manifeste, nihil sane sic postulari, ac idcirco praeter et contra veritatem.

Respondeo II. *Dist. mai.* Omnis demonstratio procedit ex necessariis, quae nimirum sint eiusmodi quoad certitudinem et inferendi vim, *conc.*; quae sint eiusmodi, quatenus versantur circa obiectum necessario existens, *subdist.*; necessitate absoluta vel hypothetica, *conc.*; necessitate dumtaxat absoluta, *neg. Contradist. min.* Effectus qui a Deo procedunt sunt contingentes, de quibus tamen cognitio certa habetur, unde necessaria consecutione mens ratiocinetur, *conc.*; sunt contingentes, quatenus possunt esse vel non esse, *subdist.*; nulla facta suppositione, *conc.*; facta etiam quacumque suppositione, *neg.* Sub datis dist. *neg. conseq.*

Ut pluries monuimus cum S. Thoma (*Summa th.* 1. p. q. 86. a. 3.), nihil est adeo contingens, quin in se aliquid necessarium habeat. Effectus propterea a Deo procedentes sunt profecto contingentes, pro eo quantum non est absoluta necessitas, ut sint potius quam non sint. Cum haec tamen absoluta contingentia triplex necessitas amico foedere sociatur. Etenim imprimis, posito quod cognitione evidente cognoscantur esse, non potest cum tali notitia componi eorum non existentia; siqui enim cognitio evidens est per se infallibilis. Hinc secundo, tametsi sint obiecta

contingentia, potest de his haberi cognitio per se et necessario vera; talis quippe est omnis cognitio evidens. Tertio proinde, multa ex praevia tali cognitione per necessariam illationem derivari possunt; in hunc enim finem ratiocinationem ornatur. Haec porro triplex necessitas abunde sufficit, ut demonstratio proprii nominis ex effectu ad causam conficiatur.

Instabis. Principia sunt priora his quae inde derivantur. Atqui nihil prius ipso Deo. Ergo non sunt principia atque adeo nec demonstratio de Deo. Praeterea, incongruum videtur, ut ex creaturis emendicetur evidentiā quae Deus in mente affulgeat.

Respondeo. Etiam hanc instantiam in Log. [390] praecipuimus, ubi docuimus, omnem quidem demonstrationem procedere ex iis quae sunt priora ac notiora *quoad nos*, solius autem demonstrationis a priori proprium esse, ut ducatur ex his quae sunt priora ac notiora *simpliciter*. Fatemur autem, demonstrationes omnes quibus legitime ostenditur, Deum esse, a posteriori esse debere. Inconveniēns autem quod notatur in obiectione proposita, nullum est. Quandoquidem ipsa altitudo et sublimitas divinorum in causa est, cur mentis nostrae aciem in eis directe figere nequeamus, sed recurrere oportet ad rerum creaturarum et sensuum evidentiam, ut quae maiorem habent proportionem cum nostra imbecillitate. Quo spectat illud ab Aristotele dictum. *Quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita et intellectus animae nostrae ad ea quae manifestissima omnium sunt.* (2. *Metaph.* c. 1.)

401. **Difficultatum ordo posterior.** — Examinandas modo suscipimus exceptiones, quae urgeri possent adversus principia consecutionemque probationum quibus in duplici praecedenti sectione usi sumus. Hae sunt potissimae.

Obiectio I. — Deum omnes concipimus ut ens perfectissimum, unum ac verum, Creatorem ac Dominum rerum omnium. Atqui probationes quas usurpavimus, plurimae saltem, sub tali conceptu minime Deum esse ostendunt.

Respondeo. *Dist. mai.* Si sermo sit de conceptu initiali Divinitatis, qui satis est ad resolvendam quaestionem, an Deus sit, *neg.*; si sermo sit de conceptu expolitiori qui spectat ad quaestionem, quis et qualis sit Deus, *conc. Contradist. min., neg. conseq.*

In hac re habendum est praec oculis quod Caietanum rite observat, sic inquiens. "Circā has rationes in communi advertendum est diligenter quod possunt afferri ad duo: primo ad concludendum illud ens incorporeum, immateriale, aeternum, summum, immutabile, primum, perfectissimum, etc. quod et quale tenemus Deum esse, et sic istae rationes habent plurimum disputationis... Alio modo afferri possunt ad concludendum quaedam praedicata inveniri in rerum natura, quae secundum veritatem sunt propria Dei, non curando quomodo, vel qualiter sint, etc. Et ad hoc intentum hic afferuntur, et sunt nihil fere difficultatis habentes secundum philosophiam." (*Summa th.* 1. p. q. 2. a. 3.)

Obiectio II. — Ut initio concessum est [385], minime potest existendi necessitas aut consimilis alia proprietates Divinitatis concludi ex conceptu quem de Deo habemus. Atqui id passim videtur fieri in probationibus alatis; sic ex. gr. ex notione causae deducimus existentiam *causae primae*, ex notione perfectionis seipsa existentis colligimus eius *infinitatem*, et ita porro. Ita Kantius.

Respondeo. *Dist. mai.* Si ratiocinatio solis praemissis rationalibus constat, *conc.*; secus, *neg. Contradist. min., eiusque probationem.*

Solutio manifesta est ex his quae diximus in Logica [271, 400]. Nimirum iudicia quae ex sola analysi terminorum habentur, si ad ordinem realitatis referantur, omnia evadunt conditionalia et hypothetica. Sic, cum in conceptu causae primae reperimus involutam notionem entis per se necessari, intelligentis, infiniti, si haec praedicatorum obiectiva connexio ad ordinem actualitatis transferatur, ita iudicandum est: *Si in natura rerum existit causa prima, haec erit ens per se necessarium, intelligens, infinitum.* Porro eiusmodi cognitio, tametsi hypothetica, est maximopere

utilis. Vix enim ope experientiae internae vel externae certiores efficimur, reipsa verificari conditionem, pronuntiata illa eo ipso evadunt categorica, atque ita ex ordine ideali ad realem legitime fit transitus. Jam age, haec et non alia est via quam inivimus in omnibus et singulis probationibus adhibitis ad existentiam Dei comprobendam; non vero illa quam ante exclusimus.

Instabis, Passim in his Institutionibus ex attributis Divinitatis conclusiones firmavimus quae mundi ordinem spectant, vel etiam facultatum cognoscendi veracitatem, unde certiores efficimur de rerum existentia; haec vero in allatis probationibus assumuntur ut principia ad ipsam Divinitatis existentiam evincendam. Atqui hic processus videtur circularis, atque ad illegitimus.

Respondeo. *Conc. mai. Dist. min.* Si circulus ita existeret quem logici vocant *viciosum, conc.*; si sola in tali processu eluceret demonstratio circularis seu regressiva, *neg.*

Ut ante notavimus cum Doctore subtili [272, fin.], perfecta explicatio creaturarum haberi non potest nisi per causam primam, quae est Deus. In hac autem discurrendi ratione coniungitur utraque methodus, quae initio quidem analytice procedit ab existentia effectus ad existentiam causae, dein vero synthetica evadit, quum ex penitiori intelligentia virtutis causae descendit ad penitiorum intelligentiam naturae effectuum: in quo certe nullum est vitium, sed optima plane methodus. Ad rem Toletus, * Quamvis existentia effectus cognoscatur ante causam, id fit imperfecte et particulariter: at postquam demonstratio per causam accedit, eam universaliter cognoscimus et certius et clarius, quod docuit expresse Aristoteles, *Poster. lib. 1. c. 24.*... Dices: si illa cognitio effectus fuit imperfecta et particularis, cum per eam pervenimus in causam, etiam cognitio causae erit imperfecta; dico, non ita esse. Nam illa cognitio effectus fuit via ad causam inveniendam; tamen ex ipsa causa inventa et aliis intellectus speculationibus perfectus cognoscimus causam, adeo ut per eam regrediamur ad effectum universaliter cognoscendum quod ignotum erat ante causam. (In Arist. lib. 1. *Poster. c. 3. q. 1.*) Quod

etiam sapienter notavit Suarez quoad etiam axiomata. * Ad augendam, ait, hanc certitudinem circa prima principia conferre potest consideratio ipsius luminis intellectualis quo ipsa prima principia manifestantur, et reflexio circa illud, et reductio ad fontem unde dimanat, scilicet ipsum lumen divinum. Sic enim recte colligimus, prima principia vera esse, quia ipso naturali lumine immediate et per se vera ostenduntur; quia in huiusmodi modo assentiendi non potest hoc lumen decipi aut ad falsum inclinare; quia est participatio divini luminis in suo genere et ordine perfecta. (*Metaph. D. 1. sect. 4. n. 5.*) Et haec est ratio quare e virtutibus intellectualibus principem locum obtinet *sapientia*, ad quam pertinet iudicare de omnibus per causas supremas (1). Confer quae in Logica diximus [381, 388].

Obiectio III. — Plerumque invenire licet nonnulla praedicata quae conveniunt quidem toti collectioni, non vero membris collectionis seorsum sumptis. Quidni igitur omnia quaecumque existunt, dicantur effecta vel contingentia, seorsum accepta, tametsi tota collectio seu multitudo eorum sit improducta et necessaria?

Respondeo. *Dist. antec.* Et hoc accidit quando cumque ratio, secundum quam praedicatum subiecto attribuitur, militat in membris praecise ut accipiuntur extra collectionem, *conc.*; et hoc contingere potest quando ea ratio militat

(1) * Scientia dependet ab intellectu sicut a principaliori; et utrumque dependet a sapientia sicut a principalissimo, quae sub se continet et intellectum et scientiam, ut de conclusionibus scientiarum dilucidans, et de principiis earumdem. (S. Thomas (*Summa th. 1. 2^a. q. 57. a. 2.*)) Consentit Extimus. * Circa ipsa prima principia versatur nobiliori modo sapientia: quia intellectus simplici tantum modo versatur, ferendo iudicium ex naturali et immediata effluente naturali luminis intellectus; sapientia vero reflectentem faciens supra ipsummet lumen et originem illius contemplans, a qua ipsum habet certam certitudinem. Illud assumit ut medium ad veritatem et certitudinem principiorum demonstrandam; hic autem modus iudicandi videtur altior magisque comprehensivus. (*Metaph. D. 1. sect. 5. n. 29.*)

aeque vel etiam magis in membris ut in collectione coadunantur, *neg.*

Nitide, ut solet, hanc rem declaravit Silvester Mauro. * Concedo, ait, quod quaedam praedicata conveniunt omnibus et singulis alicuius collectionis, quae tamen non conveniunt toti collectioni... At quaedam sunt praedicata quae eo ipso quod conveniant omnibus et singulis alicuius collectionis, a fortiori conveniunt toti collectioni. Ex. gr. si omnes et singulae partes alicuius totius sunt materiales, a fortiori totum est materiale. In casu nostro si omnes et singulae partes alicuius totius sunt causatae ac factae, a fortiori totum est causatum et factum; ex. gr. si omnes et singulae partes templi sunt causatae ac factae, a fortiori totum templum est causatum ac factum. Et ratio a priori est, quia totum non aliter causatur quam causando, et componendo, vel ordinando partes; ergo si omnes partes totius sunt causatae et invicem ordinatae ad constituendum totum, a fortiori causatum est ipsum totum. Confirmatur, quia si causa causatur, a fortiori causatur effectus; sed partes sunt causae intrinsecae totius; ergo si causantur omnes et singulae partes, a fortiori causatur totum constans et causatum ex partibus: sed omnes et singulae partes universitatis rerum factarum sunt causatae et factae; ergo tota universitas rerum factarum est causata et facta; sed quod est causatum et factum non sibi sufficit ad essendum; ergo tota universitas rerum factarum non sibi sufficit ad essendum, atque adeo sufficientia causandi totam hanc universitatem est causa non causata, nec facta. Si vero quaeratur regula ad discernendum, quandoam aliquod praedicatum conveniat partibus et non toti, quando vero eo ipso quod conveniat omnibus partibus distributive, debeat etiam convenire toti, dico regulam esse hanc. Quando praedicatum convenit singulis partibus praecise, in quantum secundum se non includunt consortium aliarum partium, tum tale praedicatum non convenit toti: ex. gr. quia partibus rotae praedicatum occupandi locum in quo antea non erant, convenit praecise, in quantum sumuntur sine aliis partibus quae erant ante in eo

loco, ideo tale praedicatum non convenit toti rotae; tota enim rota non occupat locum in quo antea non erat, quia nulla pars rotae occupat locum in quo non esset aliqua alia pars eiusdem rotae... Praedicatum insufficientis sibi non convenit rebus causatis praecise quia sumuntur sine aliis causatis et insufficientibus, sed quia non habent intrinsecam sufficientiam sibi ad essendum; ergo licet sumantur simul omnia habentia intrinsecam insufficientiam ad essendum, nunquam fiet totum sufficiens, sed remanebit summe et maxime insufficientis. (Qq. Phil. *De Ente immateriali*, q. 7.)

Obiectio IV. — Infringi possent allata argumenta, si fiat hypothesis atomorum ab aeterno in multitudine infinita existentium et invicem fortuito concursantium. Nam ex fortuitis atomorum concursantium conjunctionibus, tempore infinito opus est, combinationes omnes possibiles emergant. Atqui inter omnes possibiles combinationes recensetur etiam haec rerum universitas. Ergo fieri potuit, ut haec rerum universitas, sine Divinitatis interventu, ex simpliciter ac fortuito atomorum concursu prodierit. Simile quid eveniret, si notae omnes typographicae, quibus Virgilii constat poema, iactibus combinerentur infinitis: etenim, in ea hypothesis, semel saltem poema Virgilii dabant.

Respondeo. *Neg. assumptum.* Ad probationem, *neg. maiorem, minorem, et exemplum additum.* Recitata obiectio, ad quam quasi ad Achillem argumentorum athei appellare non verentur, ut insipientissimae suae temeritatis fulcimen aliquod nanciscantur, nullam affirmationem continet quae non sit manifeste falsa et absurda. Et re quidem vera:

I. Etiam data istiusmodi hypothesis atomorum ab aeterno in multitudine infinita existentium, ac fortuito invicem concursantium, concedere semper oporteret ens aliquod infectum et per se necessarium: quae notio est propria Dei, praesertim cum inde, ut inferius patebit, cetera divina attributa facili negotio deriventur. Argumenta praeterea ordinis moralis, quibus usi sumus, in toto suo robore adhuc permanent. Falsum est igitur, ex hac hy-

pothesi enervari omnia argumenta allata ad probandam Dei existentiam; sed illud tantum recta petit quod ex contemplatione mundani ordinis deduximus.

II. Falsum est, tempore infinito expleri potuisse combinationes omnes possibles atomorum fortuito invicem concursantium. Ut enim id sit possibile, necesse est imprimis ut unaquaeque atomus impulsus habeat ad motum quo percurrat spatium infinitum. Atqui talem impulsus nec habet ex sua essentia, cum sit indifferens ad motum et quietem; nec etiam ab extrinseco, cum nihil ponatur dari in tali hypothesis praeter atomos. Oporteret praeterea, ad habendas omnes possibles combinationes, ut singulae atomi seorsum conficiant tempus infinitum, quo scilicet unaquaeque respectu ceterarum habeat omnes possibles combinationes. Atqui res huiusmodi, etsi fiat praecisio a multiplo horrendo realium infinitorum quae sic deglutire oporteret, sine aliqua intelligentia non concipitur quae singulas atomos primitus sic disponat, ut cum ceteris omni possibili modo coire possint. Postremo, etiamsi supponeretur, casu aliquo omnes materiales atomos simul coivisse ad hanc mirabilem dispositionem rerum mundanarum, ex ipso motu quo supponuntur fortuito incitari, minime possent in his mutuis relationibus stabiles permanere; sed contra deberent semper infinites, et constanter resolvi. Ergo ne momento quidem haec admirabilis mundi machina perseverare posset.

III. Falsum etiam est, inter omnes possibles atomorum coniunctionem inveniri etiam hanc rerum universitatem. Haec enim maxime consurgit ex specifica diversitate naturarum, ex organismo viventium, et ex sensitivae vitae phaenomenis ac instinctu motuque animalium, ut nihil dicatur de intelligente principio quo homo constat ut homo sit. Atqui ad haec omnia atomos et localem motum, quae unice in hac hypothesis conceduntur, minime sufficere, satis superque in praecedentibus disputationibus demonstravimus.

IV. Inficiamur denique paritatem quae ultimo loco afertur, ductam scilicet ex poemate Virgilii, etsi permit-

teretur casu aliquo prodire potuisse tale poema ex iactu illo qui fingitur. Etenim ut id fiat, iam supponuntur ex vi causae intelligentis formatae notae typographicae et determinato numero positae. Secundo supponi debent eiusmodi notae prociat apte et non confuse. Tertio supponuntur etiam combinationes fieri in spatio finito et in loco stabili. Atqui nihil horum invenitur in hypothesis de atomis ab Epicuro excogitatis.

Obiectio V. Non videtur saltem adeo fidenter appellari posse ad communem consensum humani generis in Divinitatem. Etenim nonnullae gentes observatae fuerunt a testibus adeo incultae, ut nullam Divinitatem colerent, et etiam interrogatae responderent explicitè se nihil eiusmodi scire. Per plura etiam secula gentes integrae orientales dicuntur fuisse pantheisticae; pantheismus autem ab atheismo non nisi mendacio differt. Denique notio Dei altior est et sublimior quam quae a communi hominum vulgo haberi possit.

Respondeo. *Nego assumptum.* Neque additae probationes rem evincunt. Etenim

I. Imprimis ad valorem argumenti quod ex tali consensu deprompsimus, non requiritur universalitas mathematica, sed moralis satis est. Haec vero perdurat, etiamsi gentes nonnullae, seu potius tribus, fuisse conceduntur reipsa atheae. Idque maxime verum est, quum gentes et tribus eiusmodi perhibeantur barbarae plane fuisse, et belharum more vitam egisse, quae propterea sana ratione utenti minime pro regula proponi debent. Praeterea, nominatae fuere atheae a quibusdam vel inconsulto et ex levi admodum observatione; vel quia nullum publicum cultum Divinitati profiterentur; vel etiam quia communes reliquorum populorum Deos non admitterent, ut Christiani qui athei ab ethnicis saepe haec de causa dicebantur. Patet autem, haec omnia non arguere verum atheismum.

II. Ad illud quod additur de pantheismo gentium orientalium, concedo equidem, hunc errorem atheismo aequivalere, ei mendacium appellationis addendo. Sed talis ac tantus error non existit apud vulgus ipsum in his gen-

tibus, sed apud earum magistros superbiōres, et apud hos etiam, non quoties ipsius naturae ductu loquebantur et simpliciter agebant, sed cum propriae conscientiae voci obliectantes cum dolo et fastu de his rebus disputabant. Ita rem habere documenta innumera docent missionariorum catholicorum, qui in imperio Sinensi, in Iaponia, in regno Thibetano, et alibi degerunt.

III. Quod denique multi, ut tertio loco obiectum est, capaces non sint, totam vim argumentorum percipere, ut plenam evidentiam per se habeant huius veritatis, id minime obstat communi humani generis iudicio. Ut enim sapienter more suo observat Suarez, etiam citra hanc perfectam evidentiam, duplici ex capite oriri potuit haec communis notitia. * Primo ex maxima proportione quam haec veritas habet cum natura hominis. Proposita enim haec veritate, et explicatis terminis, quamquam non statim appareat omnino evidens, statim tamen apparet per se consentanea rationi, et facillime persuadetur homini non omnino prave affecto. Quia nihil apparet in ea veritate quod repugnet aut difficilem creditu eam reddat: et e contrario multa sunt quae statim inclinant ad assentiendum illi veritati. Multa, inquam, non solum metaphysica, vel physica, sed etiam moralia, nec solum externa, sed etiam interna. Nam si homo in seipsum reflectatur, cognoscit se non esse a se, neque sibi sufficere ad suam perfectionem, nec creaturas omnes quas experitur sibi satisfacere: immo agnoscit in se naturam excellentiorem illis, quamquam in suo gradu imperfectam, quia tam in cognoscendo verum, quam in amando bonum, sese agnoscit imbecillum et infirmum. Unde facillimo negotio homo sibi persuadet, indigere se superiori natura, a qua ducat originem, et a qua regatur et gubernetur. Secundo, fundata est haec generalis notitia in maiorum traditione et institutione, tam filiorum a parentibus, quam imperitorum a doctoribus. Ex quo etiam generalis fama apud omnes gentes percrebuit, et recepta est, quod Deus sit: unde haec notitia maiori ex parte videtur fuisse per humanam fidem, praesertim apud vulgus, potius quam per evidentiam rei: videtur tamen

fuisse cum quadam evidētia practica et morali, quae sufficere poterat ad obligandum, tum ad assentiendum huic veritati, quod Deus sit, tum ad colendum ipsum. (*Metaph.* D. 29. sect. 3. n. 25, 26.)

SECTIO V.

Quaestiones ceterae huc pertinentes breviter perstringantur.

402. *Quaer. I.* — Utrum ex ipso ordine veritatum intelligibilium assurgere liceat ad divinam existentiam comprobendam?

Respondeo, hoc argumenti genus familiare admodum extitisse B. Augustino. Vide quae S. Doctor habet (*De Trin.* lib. 12. c. 2.; *De lib. arb.* lib. 2. c. 12.; *De vera relig.* n. 52.; *Solitog.* lib. 5. c. 5. 8.). Speciatim vero notanda sunt quae acute disserit lib. 7. *Confess.* p. 23., ubi describit gradus quibus per hanc viam pervenire possumus ad aliquo modo videnda invisibilia Dei per ea quae facta sunt, nimirum * gradatim a corporibus ad sentientem per corpus animam, atque inde ad eius interiorem vim, cui sensus corporis exteriora annuntiant, et quousque possunt bestiae; atque inde rursus ad ratiocinantem potentiam, ad quam refertur iudicandum quod sumitur a sensibus corporis. Quae se quoque in me comperiens mutabilem, erexit se ad intelligentiam suam, et abduxit se a consuetudine, subtrahens se contradicentibus turbis phantasmatum, ut inveniret quo lumine aspergeretur, cum sine ulla dubitatione clamaret, incommutabile praefendum esse mutabili, unde nosset ipsum incommutabile, quod nisi aliquo modo nosset, nullo modo illud mutabili certo praeponeret. *Et pervenit in id quod est in actu trepidantis aspectus.* Tunc vero invisibilia tua per ea quae facta sunt, intellecta conspexi, sed aciem figere non valui. Haec Au-

gustinus. Quocirca ad propositae quaestionis intelligentiam, haec adverto.

I. Etiam haec probatio est a posteriori. Quandoquidem pro medio assumit factum, quod conscientiae relatione nobis constat, nimirum nos per principia incommutabilis veritatis cum certitudine diiudicare de ceteris quibuscumque; ex quo manifestum fit, incommutabilia ex ipso naturae ordine mutabilibus praecire, usque normam suppeditare.

II. Haec propterea demonstratio, si quis bene perpendat, redit ad argumentum quod primo loco proponit Angelicus, ut ex rebus mobilibus demonstret dari aliquod ens immobile, nisi quod sublimiori quadam ratione urgeatur. Etenim imprimis Augustinus contemplatur hanc immobilitatem in ipso ordine rerum immaterialium. Dein vero optima inductione quasi sensibilem efficit veritatem illius pronuntiati, cui tota vis huius argumenti superstruitur, *incommutabile scilicet praefendum esse mutabili*; ex ipsa siquidem relatione conscientiae constat, nos ad principia incommutabilia tandem recurrere debere, ut certum iudicium de ceteris feramus.

III. Caveas tamen scopulum, in quem nonnulli inpergerunt, haec et alia similia Augustini testimonia perperam interpretantes: quasi scilicet, ex mente S. Doctoris, ipsum *Esse* divinum sit obiectum quod intelligentia nostra directe contempletur cum eiusmodi principia seu axiomata pronuntiat. Id enim expresse inficiatur ipse Augustinus. "Adducor, ait, ut assentiar, quantum in suo genere a caelo terram, tantum ab intelligibili Dei maiestate spectamina illa disciplinarum vera et certa (h. e. axiomata) differre,.... Disciplinarum quaeque certissima talia sunt, qualia illa quae sole illustrantur, ut videri possint velut terra, Deus autem est ipse qui illustrat,.... *Intelligibilis nempe Deus est, intelligibilia etiam illa disciplinarum spectamina, tamen plurimum differunt.*" (Soliloq. lib. 1, n. 11, 12, 15.) Et alibi. "Quam ergo verae atque incommutabiles sunt regulae numerorum, quorum rationem atque veritatem incommutabiliter atque communiter omnibus

praesto esse dixisti, tam sunt verae atque incommutabiles regulae sapientiae,.... Quapropter nullo modo negaveris, esse incommutabilem veritatem *haec omnia quae incommutabiliter vera sunt, continentem,....* tanquam miris modis secretum et publicum lumen." (De lib. arb. 2, n. 29, 33.)

Obiicies fortasse. Non videtur esse legitima consequutio recitati argumenti. Etenim incommutabilitas seu necessitas quae relucet in principiis intelligentiae, est idealis dumtaxat et abstracta. Ergo perperam inde fit transitus ad incommutabilitatem seu necessitatem Dei, quae procul dubio in ordine actualitatis sit oportet.

Respondeo. *Neg. conseq.* Etenim imprimis, ut dictum est, vis huius ratiocinationis maxime in eo cernitur, quod ex ipso modo quo certiores efficitur de re qualibet, manifestatur veritas illius sublimissimi pronuntiati, quod non mutabilia, sed incommutabilia sunt natura priora, quodque S. Thomas efferre solet dicendo, *omnem motum procedere ab aliquo immobili*. Praeterea, cum veritas consequatur ens, prout ens est, oportet ut fundamentum ultimum intelligibilitatis sit ipse ordo realis. Quare, etsi necessitas et incommutabilitas quae relucet in axiomatibus intelligentiae sit idealis, debet ultimato imitti in necessitate aliqua et incommutabilitate quae per se primo conveniat enti alicui concreto et reali. Equidem fateor, rem hanc esse intellectu difficilem. Sed propterea S. Augustinus ad argumentorum id genus vim capiendam requirere solet homines vestigationibus metaphysicis assuetos, quique sint amantes summi veri. Confer (*Trin.* lib. 4, n. 20.); item Franzelin (*De Deo uno*, th. 11.).

403. *Quaer. II.* — Num, citra fidem, sola ratiocinatione ab homine cognoscatur, Deum esse?

Respondeo, vulgo communiter pro uno eodemque accipi, quod Deus ex effectibus cognoscatur, idque sola ratiocinatione praestetur: sed plane immerito. Ut enim ante declaravimus [333, II] non omnis cognitio *obiective* mediata, continuo *formaliter* etiam mediata seu discursiva sit oportet. Si enim contingat, dari aliquem effectum, qui *ut talis* primo noseatur, certe uno eodemque iudicio, citra ratio-

inationem, mens tum existentiam ipsius tum existentiam suae causae affirmabit: sunt enim haec correlativa, quae propterea una cognoscuntur. Quare etsi illud verissimum est, Deum a nobis cognosci tantum vel per viam fidei, vel per creaturas, merito postulari potest ulterius, an aliquis existat effectus Divinitatis, qui illa ipsa cognitione qua primo dignoscitur esse, dignoscatur etiam ut effectus Divinitatis: quo in casu cognitio quae de existentia Dei haberetur, esset quidem et ipsa obiective mediata, at non formaliter, ac propterea sine ratiocinatione. Atqui id affirmandum videtur.

I. Nam primo, id videtur indubium, si sermo sit de cognitione Dei, non quidem intuitiva, sed ordinis certe supernaturalis. Quemadmodum enim audita voce alicuius, ex ipsa modulatione vocis simul affirmatur tum huius existentia, tum praesentia illius qui alloquitur, tametsi a nobis non videatur; sic minime negandum est Deo, aliquos sive in nobis, sive extra nos, effectus suae virtutis patrare posse qui sint talis naturae, ut ipso actu, quo primo cognoscuntur esse, tanquam effectus divini accipiantur. Idque verum est non solum de his effectibus Divinitatis quae formaliter sunt *verba*, atque adeo sunt per se manifestativa conceptus divinae mentis, ut contingit in revelatione prophetica; verum etiam in factis mirabilibus quae sunt propria signa potentiae divinae. * Sicut enim, ait egregie Augustinus, humana consuetudo verbis, ita divina potentia etiam factis loquitur; et sicut humano sermone verba nova vel minus usitata moderate et decenter aspersa splendorem addunt, ita in factis mirabilibus aliquid significantibus quodammodo luculentior est divina eloquentia. (Ep. 102, al. 49, ad *Deogratus*, q. 6.) Lege Card. de Lugo (Tract. *De Fide divina*, D. 1. sect. n. 127.), cui consentit Card. Franzelin (*De Deo uno*, th. VIII.).

II. Idem etiam affirmandum censeo in ordine naturali. Adducor haec ratione potissimum. Minime putare licet, nullum dari principium inter iudicia synderesis, quod sit proprie et simpliciter eiusmodi, nimirum immediate ex terminis notum: quae dignitas profecto adiudicabitur pro-

nuntialis illis cuique notissimis, *Bonum est faciendum malumque vitandum, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, aliisque generis eiusdem. Atqui nemo potest haec pronuntiata ut vera admittre, nisi eo ipso, confusa licet ratione, existentiam moralis obligationis agnoscat: talem quippe obligationem exprimunt verba illa absolute prolata *faciendum, vitandum, ne feceris*. Nequi rursus existentia obligationis agnosci nisi eo ipso agnoscatur existentia alicuius potestatis obligantis; haec quippe correlata sunt invicem. Ergo praedicta pronuntiata non possunt admitti tanquam vera, nisi eo ipso, aliqua saltem confusa ratione, concipiatur et agnoscatur existentia alicuius potestatis voluntatem humanam obligantis, in quo ipse conceptus Dei ut Legislatoris involutus invenitur, ut ante dicebamus. Concedo equidem, id declarari posse sub forma ratiocinationis, ut nos etiam fecimus [397]: sed hoc minime iudicio est, haec pronuntiata immediata evidentia minime fulgere; siquidem ratiocinandi forma passim adhiberi consuevit etiam ad ea uberius et distinctius declaranda, quorum veritas est immediate nota, ut patet in Logica. Nec etiam inde inferre licet, a nobis aliquem de Deo conceptum haberi, qui non sit haustus a creaturarum consideratione. Etenim creaturae nomine in re praesentis veniunt effectus omnes qui a Deo procedunt, inter quos recensere imprimis oportet morealem obligationem legis naturalis in mente nostra impressam et per iudicia synderesis cuique promulgatam.

404. *Quaer. III. — An Deum esse, dici queat veritas per se nota?*

Respondeo *affirmative*, si id dicatur *absolute*, inspecta scilicet propositione secundum seipsam, non vero *respectively* seu in ordine ad nostram cognitionem. Patet haec resolutio ex definitione et distinctione *propositionis per se notae* quam tradidimus in Logica [395]. Apposite S. Thomas. ⁴ Simpliciter quidem, Deum esse, per se notum est, quum hoc ipsum quod Deus est, sit suum esse. Sed quia hoc ipsum quod Deus est, mente concipere non possumus, remanet ignotum quoad nos. Sicut *omne totum sua parte*

maius esse, per se notum est simpliciter; ei autem qui rationem totius mente non conciperet, oporteret esse ignotum. (1. *Cont. Gent.* c. 11.) (1)

405. *Quaer. IV.* — An legitimo aliquo sensu *notitia de Deo dicatur animo congenita?*

Respondeo *affirmative*. Id vero, quo sensu intelligere oporteat, collatis invicem diversis scriptorum ecclesiasticorum ea de re sententiis, sic optime resumit I. B.

(1) Nonnulli Doctores Scholastici cum Scoto (1. *Dist.* 2. q. 2.) voluerunt reprobare hanc distinctionem Aquinatis, quasi non posset propositio aliqua esse per se nota simpliciter seu absolute, quin continuo sit etiam nota quoad nos. Verumtamen immerito, ait Suarez, dicti auctores laborarunt in re dialectica, de qua vix potest esse in re controversia. Nam quis dubitet, esse quasdam veritates in se immediatas, quas nos nisi per aliquod medium intelligere non valemus? Certe quantitatem verbi gratia esse entitalem accidentalem, si verum est, sine illo medio inter praedicatum et subiectum verum est; et tamen a nobis non cognoscitur nisi per media et valde extrinseca. Cum ergo propositio per se nota et immediata (i. e. immediate vera) idem sint, dubitari non potest, quin multa sint per se nota in se, quae non sunt per se nota nobis. Quod si Scotus et alii dicant, se non loqui de rebus, sed de propositionibus, quae intrinsece dicunt ordinem ad conceptus nostros, qui non possunt distingui secundum se et quoad nos, respondebimus laborare in acquitvoco: quia non tractamus de signis ipsis, sed de re significata, nec de conceptibus formalibus, sed de obiectivis, et in hos optime cadit data distinctio. Nam saepe res illae quae obiectuntur conceptibus nostris, immediatam atque adeo per se notam connexionem habent, quamvis, ut obiectuntur nostris conceptibus formalibus et ab eis denominantur, non statim esse nota nobis eorum connexio. Est ergo optima illa distinctio, et ad rem praesentem convenientissime applicata, ut satis declaratum est. (Metaph. D. 29. sect. 3. n. 33.) Adverte, aequivocationem esse posse quando propositio dicitur *immediata*. Potest enim intelligi vel de propositione *immediate vera*, vel de propositione *immediate evidente*. Primo modo si accipiat, unum idemque est cum propositione per se nota. Sin altero, non omnis propositio immediate evidens est per se nota. Haec enim sic dicitur propterea quod praedicatum est de ratione subiecti. Atqui propositiones immediate evidentes multae existunt, quarum praedicatum non est de ratione subiecti, nimirum quae ad ordinem empiricum spectant, qualis est haec, *Ego cogito*, vel *Mundus existit*.

Franzelin. " Ideo dici, ait, cognitionem insitam et cum natura rationali consentant, quia existentia Dei ad eas veritates pertinet, quas humana ratio, quando intellectus iam ideis ad expeditum exercitum necessariis informatus est, ex facili et omnibus obvia consideratione obiectorum lumine sibi insito et vi congenita assequitur, quin vel specialis et scientifica animi cultura, vel reflexa ac difficiora ratiocinia, vel extrinsecus accedens de hac veritate sive instituto humana sive revelatio divina praerquirantur. Ex hoc ipso deinde, quod haec notitia Dei existentis rationi obvia est ex iis solis, quae omnibus hominibus naturaliter praesto sunt, illa est universalis et communis omnibus qui naturam rationis non perverterunt, qui non sunt vani natura (*ματαια φρονεω*), ut dicitur Sap. XIII. 1. Ex duplici itaque ratione merito dicitur a Patribus notio insita (*ἐμφυρτος*); tum quod ex ipsa rationali natura sua facultatum omnibus connaturali efflorescit, et ita est intima naturae quae ad Dei cognitionem facta est; tum quod non est restricta ad personas singularibus donis distinctas, sed extensa ad naturam communem generis humani, quemadmodum S. Iacobus I. 21. verbum revelatum dixit *insitum verbum* (*ὄλεον ἐμφυρτον*), non quidem generi humano, sed Christianis. (De Deo uno, th. VII.)

406. *Quaer. V.* — Quo genere naturalis certitudinis nobis certa sit existentia Dei?

Respondeo I. eam esse *hypotheticam*. Etsi enim Deum esse, sit in se absolute necessarium, id tamen nobis naturaliter non constat, nisi dependenter a certitudine quam habemus de existentia creaturarum. Atqui haec existentia necessitatem, atque adeo certitudinem, praesertere non potest nisi hypotheticam; sola enim existentia Dei est absolute necessaria. Nec refert quod nos cognoscimus et quidem evidenter hanc absolutam necessitatem existentiae divinae. Id enim se tenet ex parte obiecti materialis quod cognoscitur; non vero ex parte obiecti formalis seu motivi unde certitudo speciem desumit. Ut enim modo dictum est, naturaliter cognoscimus, Deum esse, ex effectibus, qui absolutam necessitatem non habent.

Respondeo II. hanc certitudinem, hypotheticam licet, esse tamen *metaphysicam*, vere et proprie. Nam ex argumentis quibus usi sumus ad probandam existentiam Dei, multa sunt, in quibus veritas praemissae empiricae nobis certa est metaphysice, quando nimirum ea constat ex ipsius conscientiae testimonio. Conscientia siquidem, in iis quae testatur, suppeditat certitudinem, quae hypothetica est quidem, utpote subaudiens ipsius conscientiae relationem, metaphysica tamen, cum contradictorium sit conscientiam in suo obiecto decipi [Pr. Ph. 279]. Eiusmodi est primum argumentum [388]: praemissa enim empirica qua constat, enuntiat dumtaxat *aliquid re ipsa existere*; quod profecto ne idealista quidem negare vel in dubium vocare potest. Aliunde manifestum est, praemissas alias, utpote racionales seu analyticas, metaphysica certitudine gaudere. Ergo existentia Dei legitime concluditur ex praemissis metaphysice certis, atque adeo et ipsa tali genere certitudinis nobis certa dici debet. Dubitari solummodo potest de argumentorum vi quae subaudiunt relationem sensuum, vel testimonium aliorum: illa enim physicam, hoc moralem certitudinem excedere non solet. Ceterum, si quis attente consideret, in re praesenti, haec certitudo dicenda est, aequivalenter saltem, metaphysica. Ut enim in Logica declaravimus [230. .], moralis et physica certitudo proprietatem sui nominis retinent respectu *casuum particularium*, in quibus exceptio possibilis foret absolute loquendo. Atqui pulchritudo et constantia mundani ordinis, quae testimonio sensuum omnibus constat; totius praeterea generis humani consentiens iudicium in Divinitatis affirmationem, quod ex aliorum relatione accipimus: sunt facta quaedam generalissima tum in se, tum in ipsa relatione sensuum et testimoniorum quibus nobis innotescunt. Ergo, in re praesenti, non potest esse quaestio de absoluta illa possibilitate exceptionis in casu particulari, ratione cuius iudicium moraliter vel physice certum dumtaxat dicitur.

Respondeo III. nihil prohibere a vulgo hominum praedictam certitudinem metaphysicam plerumque de facto

non haberi de hac veritate. Sunt enim multi incapaces ad penetrandam vim argumentorum ita, ut plenam evidentiam de ea assequantur. Hinc rudes multum hac in re fide sive humana sive divina iuvantur, et evidentiam quamdam assequuntur *credibilitatis* potius et *respectivam* quam *certitatis* et *absolutam*, ut paulo ante notavimus cum Suarez [401, fin., Pr. Ph. 303]. Id tamen est *per accidens*; argumenta siquidem quae existunt in favorem existentiae Dei, sunt firmissima omnino, et quo magis examinantur et penetrantur, eo magis apta sunt mentem convincere, et ad plenissimum eumque metaphysice evidentem assensum pertrahere.

407. *Quaer. VI.* — An metaphysice possibile sit, ut homo Deum prorsus ignorans, moraliter tamen operetur bene vel male?

Respondeo. Non puto, si scilicet intellectus non impediatur a modo operandi sibi connaturali. Ratio est, quia ut mens inter honestum et turpe discernat, necesse est, ut mens inter honestum et turpe discernat. Iam vero in eo qui discernit iam inter honestum et turpe, ratio practica seu synderesis eo ipso est proxime disposita ad suum actum connaturalem, atque adeo in ipsum necessario prorumpit, utpote facultas necessaria. Atqui actus proprius synderesis in eo cernitur, ut honestum dicitur esse faciendum, ac turpe omnino vitandum: quare ea dicitur ad bonum instigare et remurmurare de malo. Ergo qui discernit iam inter honestum et turpe, eo ipso naturali necessitate pronuntiabit, illud esse faciendum, hoc vero vitandum. Atqui rursus in tali iudicio, ut ante declaravimus [403, II], confusa saltem ratione concipitur Deus, etsi nondum ut Creator, tamen ut bonum et potestas absolute summa. Ad rem I. Kleutgen. * Qui enim inter honestum et turpe discernit atque hoc ipso obligationem moralem persentit, bonum agnoscit prae omnibus appetendum et potestatem super omnia reverendam: atqui huiusmodi bonum et huiusmodi potestas non reperitur in natura rationali aut ulla re creata: ergo qui legi morali se subiectum sentit, Deum cognoscit, etsi nondum ut Creatorem, tamen ut

bonum et potestatem absolute summam. Hac de causa veteres theologi complures docuerunt, fieri absolute non posse seu metaphysice repugnare, ut actus moraliter malus non sit etiam offensiva Dei ideoque peccatum mortale. Quod si alii, naturam illam legis moralis, ut videtur, non satis considerantes, tradiderunt, etiam ex natura rationali per se spectata obligationem moralem nasci, hanc saltem imperfectam esse fatebantur. (*Institutiones Theol. De ipso Deo, n. 183.*) In eandem sententiam concedit M. Liberatore. " Etsi, ait, quandoque, in eiusmodi efformandis iudiciis (moralibus), non cogitamus de Deo explicitè et distinctè, semper tamen cogitamus implicite et confuse. Semper enim in illis involvitur obscurus saltem et indistinctus conceptus alicuius occultae potestatis, quae nobis imperet, quaeque obiective inspecta et in se non est aliud nisi Deus... Quam veritatem experientia quoque confirmat. Nam quisque (modo a natura duci se sinat, eamque prava consuetudine non perverterit), si forte crimen utcumque occultum patriverit, pavore quodam etsi invitus afficiatur ac firma persuasione agitur, se id non latrum impune. Hinc sequitur peccatum philosophicum, quod aiunt, possibile plane non esse (1). Nam dictamen rationis, solam moralitatem actionum nobis aperiens, etsi abstractione mentis considerari seorsum possit; tamen realiter et in se dari revera non potest. Prout enim actu in nobis gignitur, nunquam dissociatur ab imperio, quo bonum ad finem necessarium prosequi, malum aufugere iubentur. Dictamen autem rationis, hoc imperio affectum, legem constituit, cuius praevaricatio confuse saltem apprehen-

(1) Peccatum philosophicum dicitur actio moraliter turpis, quae ut talis agnoscat et libere patretur, quin formalem contineat Dei offensam; quaeque propterea haecit quidem naturam rationalem, qua talem, legem tamen divinam, ut plane ignotam, formali praevaricatione non continet. Confer hac de H. Kübler (Th. Wireburg, Tract. De Peccatis, D. 1. c. 1. a. 1.), item Viva (Trutina prop. damnat. Propositio 2. damnata ab Alexandro VIII).

ditur tamquam offensiva Dei. Ut enim dixi, iudicium quod aliquid iubet aut vetat, hoc ipso implicitam notionem habet Superioris cuiusdam naturae, cuius, si contra facimus, auctoritatem contemnimus. (*Instit. Ethic. et Iur. Nat. Ethica, n. 91.*)

408. *Quaer. VII. — Qua ratione homines quidam appelluntur athei?*

Respondeo. *Atheus* ex vi nominis idem sonat ac homo *sine Deo*, quatenus scilicet Deum non agnoscit. Id vero dupliciter dicitur, *practice* et *theoretice*. Primo modo, sive athei practici sunt qui, etsi mente Deum agnoscant, de eo tamen non erant, atque adeo sic vivunt quasi Deus nullus esset. Theoretici vero dicuntur, *negative* quidem qui usum rationis adepti in omnimoda Dei ignorantia versantur, *positive* vero qui notionem Dei consecuti, eum existere serio et ex animo negant, vel dubitant. His positus

Dico I. Multi existunt athei practici. Tristissima siquidem experientia id docet. Nihil etiam prohibet quominus, aliquo saltem momento, quis hanc veritatem inficietur vel in dubium revocet. Potest enim quis mentem avertere ab argumentis quae hanc veritatem aperiunt, eamque convertere ad sophismata quibus obscuratur. Advertendum tamen est, eiusmodi iudicium esse semper opinativum et errorem formalem continere. Est quidem opinativum: impossibile enim est, motivum aliquid inveniri quod certo probet, Deum non esse. Continet praeterea errorem formalem; non enim potest sine gravissima temeritate mens in eiusmodi dissensum declinare, cum sit res omnino facillima, Deum agnoscere, et nulla apparere possit ratio probabilis quae suadeat, Deum non esse.

Dico II. Potest quis etiam ad longum tempus, culpabiliter tamen, ignorare Deum sub expresso conceptu Auctoris et Domini rerum omnium. Quod talis ignorantia haberi possit, tristissima etiam experientia nos edocuit, ut maxime patet ex errore polytheismi qui tot populorum mentes tam diu obaeccavit. Quod autem haec ignorantia sit culpabilis, probatur hac ratione. Nam agnoscerè Deum sub tali expresso conceptu, Auctoris scilicet et Domini

rerum omnium, est plane necessarium, ut vero et non supersticioso cultu ei reverentia exhibeatur, et humanae actiones ad ultimum finem dirigantur. Atqui eiusmodi cultus, et humanarum actionum ordinatio, est homini magis necessaria quam ipse cibus corporalis quo alitur et aër quem adspirat: pertinet autem ad suavitatem divinæ providentiæ, ut non deficiat in necessariis. Ergo dicendum est, hominibus fuisse provisum, ut, si per ipsos minime obstat, talem de Deo cognitionem adipiscantur; ac propterea ex eorum culpa fieri, si longam vitam vivant in opposita ignoratione veritatis adeo necessariae. De hac culpabili ignorantia potissimum sermo est Ps. XIII, et Sap. c. XIII. Quare Apostolus Rom. I. 21. huius ignorantiae causam his verbis indicat: *Obscuratum est insipientium corum.*

Dico III. Homo, ex quo ad annos discretionis pervenit, necesse est Deum agnoscat sub aliqua confusa ratione quae non convenit nisi vero Deo. Sequitur ex his quae in resolutione praecedentis dubitationis diximus. Tunc enim homo ad annos discretionis pervenit, ut ipsa verba significant, quum ratio practica est sufficienter evoluta, ut inter bonum malumque morale distinguat. Atqui, ut ante argumentati sumus, cum hac discretionem ex ipsa natura humanae mentis coniungitur iudicium de naturali obligatione qua adstringimur ad bonum appetendum malumque vitandum; quod iudicium implicitam habet notionem Dei ut summi boni et legislatoris. De hac cognitione Dei videtur loqui Apostolus cum de ethnicis ait: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum.* Rom. II. 15, 16.

409. *Quaer. VIII.* — *Qui sunt fructus, quibus suapte natura gignendus atheismus aptus invenitur?*

Respondeo. Nullum dubium esse potest, eos esse tam multiplices et pravos, ut nullo sermone exaggerentur. Si enim malum quodcumque aestimari debet pro maiori vel minori bono cui opponitur, et pro maiori vel minori op-

positione qua ei reluctatur, profecto nihil peius excogitari potest atheismo. Recta enim opponitur summo bono, quod est Deus, idque contrarietate maxima. Ex radice autem adeo vitata non possunt expectari nisi fructus pestilentissimi. Eos speciatim sic apte et nervose enumerat Salvator Tongiorgi in sua Theologia.

* I. Sapientiam prorsus enecat, scientiisque tenebras teterrimas offundit. Sublata enim causa absolute ultima, rationum ultimarum cognitio evadit impossibilis; fundamentalia insuper problemata, quae resolvere scientia debet, in omni ordine sive physico, sive logico, sive ethico, sive historico, fiunt penitus insolubilia. Nam in ordine physico explicari nequit rerum origo, quia tollitur prima causa efficiens; legum quoque physicarum harmonia et constantia, quia tollitur ultima causa exemplaris et finalis, remnque provisor et gubernator. In ordine logico inexplicabilis est possibilitatis fundamentum ontologicum, aeternitas ac necessitas essentialium, immutabilitas veritatis. In ordine ethico intelligi prorsus nequit, quid sit lex illa honestatis, cuius imperium, ineluctabilisque auctoritatem omnes experimur; nulla enim lex sine legislatore. Hinc officia et iura sine fundamento sunt; virtus sine praemio manet, vitiumque sine poena; immo ipsum honestarum et inhonestarum actionum discrimen fit incertum. In ordine historico facta multa inexplicabilia fiunt, sublato provisorio supremo; et factorum, sive concursus, sive successio, quae ab hominis arbitrio saepe non dependet, caeco solum casu explicari possunt. Tamen ex hoc ordine et ex hac successione emergit mundus moralis, qui non minus quam physicus mirabilis est, nec fortasse minus illustra intelligentiae disponentis vestigia continet.

* II. Atheismus humanae naturae osor et inimicus est. Intimis enim naturae propensionibus contradicit, easque in ludibrium ipsius ac tormentum vertit. Deo enim sublato, nullus est amplius remunerator virtutis, nullus scelerum vindex, nullus perturbati ordinis reparator, nullum in adversis solamen, nullum amplius obiectum cuius assecutione felices esse possimus. Sine Deo animi immor-

talitas chimaera est, desiderium beatitatis ludibrium, virtutis amor calamitas, ac propensionibus inter se pugnantibus homo misere discerpatur, necesse est. Si Deum mihi tollis, quid superest? Brevis haec incertaque vita, quam calamitates et aerumnae potius, quam anni diesque metiuntur, in quam homo coniectus sine adiutore, sine provisoro, sine remedio, sine spe, conditionem obtinet brutorum conditione longe deteriorem.

* III. Humanam denique societatem atheismus impossibilem facit. Quae enim sunt humani convictus fundamenta, nisi mutua fides, legum reverentia, in principe amor iustitiae, in subditis obsequium erga auctoritatem, in omnibus patriae amor ac civium charitas? Haec autem omnia in athea hominum multitudine frustra requires. Invisibilis enim atque omnia videntis potestatis timore sublato, omnique futurorum bonorum adempta spe, unica superest agendi regula, utilitas; unicus finis, voluptas; unicam efferentibus se cupiditatibus frenum, timor. In imperantibus timor populi, in populo timor imperantis, hoc totum societatis fundamentum erit; ac propterea ius unicum, fortioris voluntas; unica debilioribus relicta defensio, simulatio, fraus, proditio. Nonne praestat in silvis atque inter feras degere, quam in huiusmodi societate versari?

* Ex his omnibus concludemus, merito atheos et vocari insipientes, et populorum odia semper, et legum severitatem subisse; qui et sapientiae contemptores, et hominum inimici, et societatis eversores esse probantur. Haec ille (*Institutiones Philosophicae*. Theologia Naturalis n. 73... 75.).

DISPUTATIO II.

PERFECTIO DIVINAE NATURAE

SECTIO I.

De perfectione divina, universe ac generatim.

410. **Attributa Dei quae dicantur: eorum divisio.**
Attributa divina vocamus quaecumque *proprie* et *conversim* praedicantur de Deo. Duo propterea requiruntur et sufficiunt. Primo, ut formalis ratio (1) nomine expressa, attributum Dei significante, non tropice, sed propria affirmatione de Deo dicatur. Secundo, ut ea ratio non sit

(1) * Ratio, prout hic sumitur, nihil aliud est quam id quod apprehendit intellectus de significatione alienius nominis; et hoc, in his quae habent definitionem, est ipsa rei definitio, secundum quod Philosophus dicit 4. *Metaph.* tex. 11.: *Ratio quam significat nomen est definitio*. Sed quaedam dicuntur habere rationem sic dictam, quae non definiuntur, sicut quantitas et qualitas et huiusmodi, quae non definiuntur quia sunt genera generalissima, et tamen ratio qualitatis est id quod significatur nomine qualitatis; et hoc est illud ex quo qualitas habet quod sit qualitas. Unde non refert, utrum illa quo qualitas habet quod sit qualitas, habeant vel non habeant definitionem. Et sic patet, quod ratio sapientiae quae de Deo dicitur, est id quod concipitur de significatione huius nominis, quamvis ipsa sapientia divina definiti non possit. S. THOMAS (1. *Dist.* 2. q. 1. a. 3.).